

156o (hoc enim nomine eos appellabimus) consiliis, quibus, Rege, matre, fratribus, ac Guisiis Principibus in suam potestatem redactis, nova invecta, veterem religionem delere; Galliae monarchiam prosternere; cuncta diripere; divina, humanaque miscere meditabantur. Franciscus Ambosiam, valde munitum oppidum, se recipit; militum delectus haberi mandat; armatos eo statim convolare jubet; in complures supremo supplicio animadvertisit. Renaudius a regiis militibus confoditur; plebi, atque iis, qui in se non delinquissent, reliquorum criminum venia conceditur. Ita compresso eo conjuratorum hominum conatu, summoque periculo Rex ereptus est: at non extinctus sævæ pestis furor, sed veluti exagitatus in dies magis recrudescere, atque profundiores radices agere. Itaque Franciscus nil intentatum relinquere, omnia experiri constituit, quibus si non restinguui, saltem sedari concitatæ plebis impetus posset. Senatui, quæ sibi acciderint, per Aquensem Episcopum legatum significat; flagitat, cum Pio Pontifice Maximo agat, ut quamprimum Concilium variis reipublicæ christianæ casibus prorogatum, cunctatione amota, Tridenti indicat. Eo tantum effrenes populorum impetus remorari, ac sisti posse; si, ex cunctis orbis regionibus Synodo coacta, gravissima auctoritate sceleratorum hominum adversa catholicæ religioni commenta, ac sectæ disjiciantur, ac profligentur. Detecta perditorum hominum consilia, ac summo Regem periculo ereptum Patres gratulantur; deinde Pium Pontificem Maximum ad cogendum Concilium urgent, qui egregio in rempublicam christianam animo nuper suam ea in re mentem Senatui significaverat: nihil sibi antiquius fore, quam ut per tot annos divulsam, ac labefactatam religionem farciret; in id omnes conatus, ac nervos adhibiturum; Christianissimo Regi opem laturum; ut in Gallia avita institutio retineatur, enixurum. Quæ ab Apostolicæ Sedis legatis in Regum, ac Principum aulis hisce de rebus agerentur, ea omnia cum Reipublicæ oratoribus communicari mandavit, ut communis studio in saluberrimum, atque christianæ reipublicæ necessarium opus incumberent.

Ceterum intestinis malis christianæ reipublicæ laboranti aliæ quoque externæ clades ob Leptitanam infeliciter susceptam a

Phi-

*Franciscus  
Rex Ambosiam  
se re-  
cipit, mil-  
ites cogit, in  
fontes ani-  
madvertit.  
Godifridus  
Barrius in-  
terficitur.*

*Venetorum  
cum Pio  
Pontifice  
officium de  
Concilio in-  
dicendo.*